

207.

I 207.

Konrad Grebel¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1520. August 3.

Besuch der vor der Pest fliehenden Schwester im Vaterhause. Sein Besuch in St. Gallen nach Empfang der von Basel erwarteten Bücher. Schriften von Myconius und Erasmus.

Salve meum decus, charissime virorum. Quia hactenus omnino abire non licuit propter libros, qui nondum venerunt, commode soror cum filiabus duabus nos visit; pestem fugiens, relicto tamen post se marito, sed quum sic ille perpelleret. Nunc ea fraterne excepta eo diutius apud te hærere^{a)} potero, quam si illa me absente venisset; coactus enim fuisse ita regredi properanter salutationisque officium peragere. Tu interim mei desiderio^{b)} cum multis aliis torqueris, id quod tuę literę ostendunt. Velim maximopere dignus fieri aut esse expectatione, hoc est humanus et facilis moribus inter vos videri præsens. Qui si non videbor, vestrum erit omnium munus, animi mei incorruptam erga vos fidem ita excipere, ut humanitatem nullam expostulasse a nobis credi possitis, atque ab eo homine, quem nescio quid, maxime volentem omnium horarum esse, a morum felice^{c)} illa vobisque peculiari comitate sic diducat, ut ne latum quidem unguem accedere fas sit. Utcunque erit, non ignoras, qualis sim; vocas tamen, et id quidem adeo sedulo, ut si perduellis fuisses, abesse non vellem. Scripsi iam tertio ad Basileam mercatori; spero adepturum me tandem, quod me detinet. Interim solabor sororem, fato sororis nonnunquam illacrimantem^{d)}.

Quod angebaris nomine meo, ne nuper repetitus aér patrię e medio me hominum tolleret, gratias habeo ingentes. Oro tamen, ne quid sollicitus sis huius rei gratia; nondum enim apud nos certus autor pestilentię famam circumfert.

Lutetię iam debacchari hic Mars cepit; id quod ex Glareani tum aliorum literis cognoscere ad me datis licuit. Sed hęc omnia in faciem narrabo. Legi, dum nihil aliud agere scirem, Myconii^{e)} de non bellando dialogum Philirenū, vel ob veritatem perpetuitate dignum. Vidi epistolam Erasmicam, Lutherici negocii nonnihil tractantem. Utraque olim imprimentur, in vulgus exitura, et reposcebat, cum vix misisset ista, Myconius, quo minus etiam ad te irent comprobanda. Potes tamen his carere. Hęc cuncta boni consule. Scit famula, quando scripserim

hæc et quam diu abitum eius prospexerim. Parentes et sorores due vestrum omne nomen salvum esse iubent, nec ego aliud cupio. Nunc nihil reliquum. Vale igitur, meum præsidium et columen viveque cum tuis felicissime^{f)}. Tiguri, III Nonas Augusti, anno MDXX.

Conradus tuus.

Domino doctori Ioachimo Vadiano, poetæ et oratori laureato, affini suo longe charissimo.

a) „herere“. — b) „desyderio“. — c) „fœlice“. — d) „illachrymantem“. — e) „Miconii“. — f) „fœlicissime“.

I) Vrgl. I, Register.